



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suaui Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt XVIII. Expenduntur quæ Suaui obseruat in actionem Iulij, & Concilij integritatem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11665

fuisse. Ita Legatus; seu quòd reuerà id sibi in animum induceret, ex ea fiducia quam de sua quisque suadela concipit; seu quòd vellet benevolentiam sibi aucupari, ostentato beneficio per eam conditionem, quæ iam ampliùs expleri non poterat.

7 Amiotus publicam contestationis fidem à Massarello petiit: sed nihil obtinuit, cum destinatus responsioni dies expendendus esset, quo vnà cum responsis coniuncta, & ab eis quasi correcta vulgaretur. Quapropter ille Venetias rediit, vt noua ibi mandata caperet à Turnonio. Sed interim Rex die tertio Septembris edictum quod memorauimus promulgauit, in quo reipsà idem declarabat de obstaculo iniecto suis Episcopis (prout ipse significabat) studiosè à Pontifice per excitatum bellum, ne Concilium adire possent: nec vllum internuntium, qui Sessionis die responsum acciperet, mittendum curauit; quemadmodum, cum Amiotus rem proposuit, edixit, nullam à se responsionem peti. Sed denuntiatum illi fuit, velle Patres eam ipsi reddere, tametsi ab illo non peteretur. Hoc interest inter responsa, quæ petitioni, & quæ oppositioni redduntur; altera libentius redduntur silentio, quippe quod rem negat absque repulsa, sæpè eam danti molesta, quia is per illam odiosus redditur sese inclinanti: in alteris, quamuis proluxa, semper manca videntur verba, nisi vis ingens prudentiæ ingentem anxietatem temperet, quæ quisque ardet magis bonam causam prætexere quàm habere.

Ex literis
Amioti.

CAPVT XVIII.

Expenduntur quæ Suauis obseruat in actionem Iulij, & Concilij integritatem.

1 SVauis pro suo instituto, quo priscos graues viros suarum recentium satyrarum auctores facit, plura comminiscitur, ab illis tum Pontifici tum Concilio obiecta.

Ac primò quidem; *Indignius visum esse, posteros Pauli, qui pro libertate Italia adeo desudauerat, fuisse destitutos.* Profectò huic homini nihil odiosius Romano Pontifice mentis oculis obuertatur: & quoniam viuus Pontifex verius est Pontifex quàm demortuus, vt viventem vituperet, demortuum commendat, quamuis eundem, qui extinctus est, maledictis dehonestauerit, dum viventem descripsit. Quot liuidæ obrectationis aculeis studuit idem Suauis Pauli Tertij famam impetere? Quàm acerbis morsibus ipsum dilacerauit ob amorem in suos, ac potissimùm ob traditas illis Parmam ac Placentiam? Quæ non affirmat de ipsius auiditate, quæ pro illis Mediolano

Pars II.

K k

inhia-

1551. inhiauerit? Oblatum Cæsari fuisse à Paulo ingentem thesaurum, societatemque aduersus quemcumque, parato quidquid in suis subditis inesset succi coniungere, eundemque Cæsarem, vt sibi Christianum orbem subiiceret, adiuuare? Petri Aloylij cædes, Placentiæque occupatio, quamdiu Paulus de iis querebatur, ab omni Suauis reprehensione fuerunt immunes: nunc verò cum alius Pontifex Pauli stirpem exagitat, satis illud ipsum est, vt Paulum in cælum euchar, ceu de Italia optimè meritum, planeque dignum gratà remuneratione, ipsius posteris tribuendâ.

Nolo hîc ingredi iudicium de huiuscemodi belli conuenientia. Sed Iulius nequaquam in animo habuit deserere posteros Pauli, quibus confestim restitui Parmam iussit, redditâ idcirco de suo magnâ pecuniâ vi Camillo Ursino, tributisque Octauio duobus in mensès singulos scutorum millibus, præter mille alia pro peculiari stipendio. Semper etiam impensè intulit Cæsari, vt pacificam Parmæ possessionem relinqueret penes Octauium, cui de Cæsarianis sollicito obtulit se vel suâ præsentia, si opus foret, eam defensurum. Controuersia in eo fuit, quòd Octauius Gallorum auxilia tunc acciuit, cum Pontifex haud necessaria existimabat; simulque animaduerteat, perinde fore si Parma ipsis referuaretur, ac si Iani templum in Italia patefieret: arma verò ad minus Reipublicæ incommodum intulit, tametsi maius ipse pateretur incommodum, sicuti ostensum est. Nec ea argumentatio quantum coloris, tantumdem formidinis habet: Si Pontifex Carolo Placentiam occupanti molestiam haud inferebat, cur inferret Henrico Parmam defendenti? Aliud sanè est arma ciere ob aliquod damnum, decessoris ætate iam illatum, ab eoque toleratum; aliud verò, nouum, sibi que illatum regnanti detrimentum pati. Lex ipsis etiam priuatis permittit, vt ea, quibus spoliati sunt per vim, illico à spoliatore præripiant, non item iniectâ morâ. Pacis perturbator inter homines habetur, quicumque rerum nouarum causâ bellum mouet. Præterquam quòd ipsa occupatæ Placentiæ toleratio Regem non incitabat ad arma, quæ ne Paulo quidem superstite commouit; sed tolerantia nouarum rerum Parmensium prænoscebatur, ad bellum Cæsarem commotura. Ac demum Pontifex Parmæ causâ non Gallum aggrediebatur, sed beneficarium suum, tamquam contumacem, cum regius auxiliaris tantum esset: contra verò ad recuperandam Placentiam necesse erat, vt Iulius Cæsari nominatim bellum inferret.

Pergit obloqui Suauis, aliquos existimasse, cupere Pontificem, vt inter Cæsarem & Henricum bellum erumperet ad obturbandum
Conci-

Concilium. Et tamquam de suo addit, Certum esse, frequentioribus efficacioribusque postulatis sollicitatum à Pontifice Cæsarem ut arma capesseret, quam Regem ut rem componeret. Sed alterum quidem vnum est ex iniquissimis iudiciis, quæ mentis seu distortæ seu malignæ temeritas ferre possit; alterum est evidentissimum mendacium, maximeque repugnans illorum temporum monumentis.

4 Atque ut de priori loquar; Num fortè Iulio deerant aliæ decliniores viæ, quibus Concilium subterfugeret? Nónne poterat per honestissimam speciem Cæsari respondere, velle se profequi iam inductum Romam translationis iudicium, nec obnoxiam æqualium posterumque dubitationi relinquere æquitatem & suam simul & Pauli, à quo purpurâ ornatus fuerat, in opere tam memorabili? Præterea, quis Iulium coëgerat ad Henrici consensum tam sedulâ persuasionem eliciendum, sicuti vidimus, cum sibi certum esset, suâ sponte numquam consensurum Concilio in Austriaca ditione? Quando igitur Pontifex noluit tam faciles inire rationes declinandæ Synodi, an in rem suam postea futurum fuisset, spem illius perturbandæ tam caro mercari, hoc est, suscepto bello tam arduo, dum ærarium exhaustum erat, simulque expositâ periculo suâ vniuersâ stirpe; & quidem periculo non ad speciem, sed eiusmodi, ut ipse breui in extincto fratris filio familiæ suæ radicem præcisam aspexerit? Quid plura? nõnne Suavis ipse narravit, Iulium eousque fuisse progressum, ut per Ascanium Corneum Gallia Regem monuerit, nihil à quouis Principe iniuriosius Deo posse admitti, quam Oecumenici Concilij progressibus obsistere? Dein verò, cum Vallum eidem Regi Legatum mitteret, ut ad concordiam illum adduceret, nõnne inter cetera argumenta, quibus eum alliceret, vsus est potissimè beneficij magnitudine, quo Ecclesia fuisset affecta, si repetita iam Synodus continuaretur?

α Mandata
Vera. lo re-
dita, 13. O-
ctobr. 1551.
ann. Bur-
ghesios.

5 Quod spectat ad alterum: Quid non molitus est Iulius, ut controversiam componeret? Præter adhibita ab illo officia per Oratorem Gallicum, per Ferrariensem ac Turnonium Cardinales, & præter ea quibus Regem per Nuntium sollicitavit, an non sororis filium ad eundem legavit? an non remisit in Galliam Monlucium cum iteratis precibus, amplisque promissis? nõnne tot suos Nuntios & Cardinales ad Octavianum misit, qui cum eo agerent, antehabita, prout ipse dicebat, charitate dignitati? Num in Senatu non obrinuit Purpuratorum consensum iis quæ postulauerat, missis ad Octavianum Diplomatus, & paratus auferre ad id perficiendum

Historia
Concilij Tri-
dentini.
Lib. II.
Cap. 18.

1551.

b Exat in
mandatis
Verallo tra-
ditis.

c In manda-
tis Riccio
traditis.

à Ioanne Baptista fratris filio Camerinum, cuius ei dum viueret ad-
ministracionem concesserat? Iterum verò post accensum bellum,
& ante dissolutum Concilium, nonne legationem ad Regem obire
iussit Verallum, vt pacem peteret, & per amplas condiciones offer-
ret, b modò pro Sedis Apostolicæ dignitate Octavius Parmâ secede-
ret? Ex altera parte, quæ apud Cæsarem ad bellum declinandum
non tentauit? an per Dandinum tot illi rationum momenta non
proposuit, quibus suadebat, vt in præsentia remitteret supercilium,
præstolaturus opportuniora tempora, cum ab aliis tricus libera ma-
nus foret? an non denuntiauit, se nonnisi quadraginta scutorum
millia c posse suppeditare, tamen postmodum iactâ aleâ necesse illi
fuerit longè maiorem argenti copiam impendere? Verum quidem
est, Henrico & Octauiò oblata recusantibus, Iulium, Cæsaris po-
stulationibus compulsus ad bellum, optauisse, quò dignitati simul
ac securitati consulere, citas validaque suppetias, quibus res pro-
sperè cederet.

Post pauca, rationes profert Suauis, ob quas Galli negabant se 6
obstrictos iri futuris Decretis illius Concilij. Ex his vna erat, quan-
tum ipse scribit; Quamquam Antistites Galliæ minimè opus habe-
rent, per ditionem Pontificiam iter facere vt Tridentum accede-
rent; oportere tamen vt per subiectas Cæsari terras transirent. Sed
cur silentio præterit responsum quod reddebatur, nimirum, inter
Regem ac Cæsarem haud bellum geri; nec satis esse impediendæ
itineris & commercij securitati initam à Cæsare societatem cum
Pontifice, cuius nomine bellum habebatur? Num fortè ignorabat
Suauis, an vniquam ipsius ætate inter duos Reges bellum geri quis-
quam dixerit, quâ tempestate Gallo fœdus inerat aut cum Batavis,
aut cum Sabaudis, in Hispaniæ Regem pugnantibus? Nonne ipse
pernouit, id temporis libera ac tuta fuisse alterius Regis subditis in-
gressum mansionemque in alterius ditione, atque inter eos conti-
nuatas mutuas legationes, ceteraque amicitiae & affinitatis officia?

Verumtamen si Suauis in ea se continuisset narranda ratione, quâ 7
Galli tunc verè vsi sunt; quamuis responsum illi redditam omi-
sisset, vnius quidem partis studiosus, sed non mendax fuisset. Au-
det sapientissimo Parisiensi Senatui sententiam imputare, tam ipsius
doctrinæ quàm Religioni repugnantem. Huiusmodi sententia est,
Eos, qui cunctis Ecclesiasticis conuentibus, adeoque Conciliis etiam
Oecumenicis non intersunt, tamen non legitimè præpediti, eorum
sanctionibus non obligari. Quod non modò tolleretur ab Ecclesia
Monarchiæ regimen, perinde ac vellent hæretici; sed ferè etiam,
pro

pro eo ac vetustiore ac rudiore mundi ætate viuebant homines, quamcumque communitatis ac Reipublicæ formam: quo quid magis incompositum, magisque contrarium sacris Litteris, traditionibus, historiis Ecclesiasticis, gubernationi fidelium, & ipsius rationis lumini excogitari potest? Aliqua mihi gens proferatur, modò in extremam barbariem non degeneret, quæ ita legibus communique regimine soluta vitam exigat. Quando vnquam non modò Concilio, sed planè discipulo Parisiensi potuit sub specie veritatis in mentem cadere, licere cuicumque vel notæ minoris Episcopo sibi hierarchiam quamdam propriamque per se mundum constitutere? Num fortè id vnquam à Gallis aut in Prouinciarum aut in Dioceseon Synodis vsurpatum est, ita vt esset alteris in cuiusuis Episcopi, alteris in cuiusuis rectoris potestate, non interesse, & ex hoc Decreta communia nolle recipere? Suauis ad rem suam plures auctores congerit, sed nec loca nec verba producit; egregiâ quippe arte, ne possit falsi redargui. Sed ne ita quidem sibi satis consuluit. Profert ipse in medium S. Gregorium, dicentem, neque Canones Concilij Constantinopolitani secundi, neque primi Ephesini ab Ecclesia Romana fuisse receptos. Concedatur hîc quod falsum est; de quo mox: interrogo: An eos fortè illa non recepit, quia iis Synodis non interfuit? Id profectò affirmari nequit saltem de primo Ephesino; illi certè interuenit Romana Ecclesia, illi assensa est; illi præfuit Cælestinus Romanus Pontifex per S. Cyrillum, ipsius Legatum. Verum igitur non est, S. Gregorium (etiãsi pro vero ponatur) ea dixisse, quæ refert Suauis fauere sententiæ, ad quam firmandam ab eo producit; nimirum, cuiuslibet Ecclesiæ, quæ alicui Synodo non interuenit, liberum esse eius sanctiones recipere vel recusare. Sed verum adhuc est, per hoc ipsum quod hîc narrat Suauis, totam eiusdem molem ab eo imprudenter conuelli. Etenim cum Ecclesia Romana & interfuerit laudato Concilio, & illius Canonibus sancendis assenserit, non alia de causa potuit ipsi licere eos non recipere, nisi quia Concilia ab ipsa accipiunt, non super ipsam obtinent potestatem. Quare nisi Legatus, qui eius nomine ibi adfuit, diserta habuerit mandata de iis omnibus quæ ibidem declaranda ac statuenda sunt, semper illius Concilij Decreta pendunt suspensa, donec à Sede Apostolica habeantur rata, quemadmodum Bellarminus ostendit; quod reliquis inferioribus Ecclesiis minimè conuenit. At si quando quarundam arbitrio permessa est sancitarum legum acceptatio (quod tamen de dogmatis Fidei, quæ fuerint ab Oecumenicis Synodis pronuntiata, numquam permiffum) id ex eo factum

d Vide Bellarm. lib. 1. de Conciliis.

1551.

ctum est, quòd cum illæ non per contumaciam abfuisſent, nec explicatum iſiſ eſſet, an eiufmodi leges iis Diœceſibus conduce-
rent, quarum rectores auditi non fuerant, hæc lenis agendi ratio
ſpontè ſuſcepta eſt, ne ſcilicet illis legibus niſi pro ipſarum ſententia
ac voluntate obſtringerentur. Verùm hanc vniuerſalem poteſtatem
Concilii Eccleſiæ denegare, perinde eſt ac ipſam Eccleſiam eſſe Ec-
cleſiam denegare: Eccleſiæ quippe nomen non aliud, niſi *Conno-
torum congregationem*, adeoquæ regimen commune ſignificat; ſimul-
quæ affirmare, regimen à Chriſto inſtitutum, eſſe omnium, quibus
homines vtantur, deterrimum.

Iam verò, tametiſi quæ diſſeuimus vera ſint omnia; tamen in iſiſ
accidit, quòd Ariſtoteles tradit in Logica, Falfas interdum eſſe po-
ſitiones præmiſſas, ex quibus oritur vera conſuſio. Etenim S. Gre-
gorius in primis de Epheliſino primo contrarium affirmavit ac ipſi
Suauis appingit. Scripſit ille quidem ^e ad Anaſtaſium Antiochenum
Antiſtitem, vt emendatum eius Concilij exemplar conquireret, aut
ſe curaturum vt illud Româ mitteretur; adiecitquæ, ad ſe Conſtan-
tinopolim perueniſſe deprauatum quoddam exemplar, in quo inter
pronuntiatâ Catholica inſerebantur multa Pelagij ac Cæleſtij do-
cumenta, quæ ea Synodus confutarat. At verò de Conſtantinopoli-
tano primo, non de ſecundo dixit aliquando S. Gregorius, ^f illud ab
Eccleſia Romana comprobari in Macedonij damnatione; ſed vt-
que ad id temporis, *Eius*, inquit, *Canones & Acta non habuit, nec ac-
cepit*. Et ſuborta difficultas eſt, non de lege aliqua ad Eccleſiæ tribu-
nalia moreſquæ reformandos edita, ſed de Canone tertio, vbi pro-
ximus poſt Romanum Episcopum Conſtantinopolitano locus tri-
buitur; quòd opponi videbatur & ſuperiori Eccleſiæ conſuetudini,
& Concilij Nicæni ſanctionibus. Quamobrem ^g diu varij Pontifi-
ces repugnarunt, donec ob ſtudium pacis vſu receptus eſt, tacito-
quæ Romanæ Sedis conſenſu; poſtea verò diſertâ comprobatione
Innocentij III. in Synodo Lateranenſi. De reliquo ſcribit idem
ſanctus Gregorius ^h ad Theodolindam Longobardorum Reginam,
temerè dictum à quibuſdam fuiſſe, Romanam Eccleſiam à priori-
bus quatuor Conciliis reſeſſiſſe. Vnde autem ea fuerit orta ſuſpicio,
mox de altero capite acturi dicemus.

Quòd igitur attinet ad Conſtantinopolitanum ſecundum, in eo
ſita erat difficultas, quòd ibi damnati fuerant Theodorus Mopſue-
ſtenus, Iba, & Theodoretus, inter quos alius quidem ante ſuorum er-
rorum damnationem accuſationemquæ iam obierat; alius videba-
tur in quadam epiſtola, in qua tamquam hiftoricus eos errores reſe-
rebat,

^e Lib. 7.
ind. 2.
epiſt. 47.

^f Lib. 6.
epiſt. 31.

^g Vide Hi-
ſtoriam ip-
ſius Concilij
in editione
Romana
Concil. ge-
neral. ſub
Paulo V.
^h Lib. 12.
epiſt. 7.

1551.

rebat, præferbatque simul animum redeundi ad unitatem Ecclesiæ, ipsos reuocasse; eaque propter ad hanc unitatem à Chalcedonensi Concilio admissus fuerat, postquam illic dogmata ad Fidem spectantia fuerant constituta. Huic igitur damnationi trium hominum, quos nominauimus, prius habitæ à Iustiniano Imperatore, Vigilii¹ Pontifex obstiterat acriter, cum videretur Chalcedonensis Synodi dignitas per eam eleuari, nec profano Principi fas esse suam ad hæc auctoritatem extendere: mox animaduerso schismatis periculo, assensus est. Postea nouum è suo consensu exortum schisma conspicatus, cum res ad Fidei dogma non pertineret, iterum pedem retraxit, adeoque recusauit huic Synodo Constantinopolitane consentire: & cum eo complures ex Catholicis conuenerent, dum è conuerso alij Catholici eidem Synodo adhærebant. Atque in ea controuersia pars vtraque Catholicorum memorata Chalcedonensis Synodi auctoritatem propugnabat; Vigilii quidem, eiusque affectu, quoniam ab illa hi tres in unitatem Ecclesiæ recepti fuerant: aduersarij verò, quoniam horum trium commentarij hæreses continebant, ab eadem Synodo condemnatas. Verum hæc posterior sententia tandem vicit. Quare secunda Synodus Constantinopolitana, cui noluit interesse Vigilii, & quæ idcirco antea Occumenica & legitima non fuit, postea vel ab ipso vel à successore Pelagio comprobata, vim auctoritatis quæ ipsi deerat accepit. Hinc tamen inter fideles schisma profectum, opponentibus Eutyriani, ceterisque in Chalcedonensi proscriptis, ab ea Synodo Romanam Ecclesiam discessisse, dum Constantinopolitanam secundam probabat. Itaque S. Gregorius pluribus in locis^k huiusmodi repugnantia vanam speciem dissipat, ostenditque, quod spectabat ad doctrinam, duas illas Synodos concordare in retellendis trium memoratorum hominum erroribus: id verò luculentius quàm alibi declarat scribens^l ad Constantium Mediolanensem Antistitem, vbi obseruat, diffidium non in dogmatibus verti, sed in hominibus, de quibus actum fuerat in Chalcedonensi, post firmatam integrè doctrinam; ac proinde controuersiam non esse de articulo Fidei, & qui ad Ecclesiæ auctoritatem nulli obnoxiam errori spectaret. Verum tamen quòd eam remoueret offensionis occasionem, quæcumque tandem ea foret, fatius duxit, vt ipsius litteræ, quibus ea Synodus^m comprobabatur, minimè vulgarentur, ac de illa sermones passim non haberentur.

i Vide rationes & euenta apud Baronium annis Vigilij Patris, præsertim à 546. ad 553.

k Lib. 1. epist. 24. lib. 2. ep. 36. lib. 3. epist. 4. lib. 7. ep. 53. lib. 12. ep. 7. l. Lib. 3. epist. 37.

m Vide laudatam epistolam 37. & Severinum Binium in Notis Vitæ in S. Gregor.

¹⁰ Narrat denique Suauis, Romæ tolerari non potuisse, quòd vellet Rex in Pontificem bellum gerere, simulque profiteri, eandem à se

Historia
Concilij Tri-
dentini
lib. II.
cap. 18.

1551.

n Step-
hanus III. re-
latus in Ca-
none 4.
dist. 79. di-
cens: *Hac
sacrosancta
Domina no-
stra Romana
Ecclesia.*

in Sedem Apostolicam reuerentiam retineri, cum Sedes Apostolica nihil aliud nisi Pontifex Romanus sit. Quod subdit ille, Gallos fuisse inficiatos, adductis ex opposito quibusdam veterum Pontificum dictis, qui Sedem Apostolicam *suam Dominam* appellarunt.

Enimvero nemo fuit Romæ adeo crassæ Mineruæ, qui sibi persuaserit, idem prorsus esse Romanum Pontificem, & Apostolicam Sedem; cum potissima sit humanæ rationis notio, de vna eademque re duas contradictiones veras esse non posse: & tamen mutatur Pontifex, Sedes Apostolica non mutatur, sed semper eadem est; quin ea remanet, & reuerentiæ contemptusque capax est, omni etiam Pontifice vacua. Et quidem consuevere Pontifices affirmare, se vitam ac sanguinem profusuros, & asperissima quæque in se passuros ad eam Sedem tuendam. Quare mirum non est, si *Dominæ* sui titulum illi tribuant, cum seipsum generatim nuncupent *Servos servorum Dei*. Pari quoque ratione idem non sunt Cæsar & Sedes Cæsarea, Respublica & Senatores qui Rempublicam administrant: ac proinde posset quispiam odio prosequi nominatim Pontificem, Cæsarem aut Senatores, & simul amare Sedem Apostolicam, Sedem Cæsaream, ipsam Rempublicam, eorumque Principatum amplitudinem promouere. Sed quod idem esse Roma contendit, est vtriusque auctoritas; cum alia non sit Sedis Apostolicæ auctoritas, alia Pontificis: adeoque non potest simul excuti obedientia erga Pontificem, quatenus Pontifex est, repudiato Concilio quod ille conuocauerit, & retineri obedientia in Apostolicam Sedem: quæ pariter ratione nemo potest Cæsari, quatenus Cæsar est, nolle obsequi, & simul obsequi Cæsareæ Sedi, neque contumaciam exercere in Decreta Senatus, & simul in obsequio Reipublicæ persistere. Quisquis hæc legat, nobis ignoscat velim, si huius scriptoris soporifera, parum illa quidem credibilia, sed nimis credita, nos adigunt ad exercendas elenchorum potius quàm historiæ leges. Verum si huius exercitatio nobilior est ad mentem veritate informandam, illorum ars magis est necessaria ad eradendam ab ea falsitatem, quemadmodum semper plus necessitatis habet se malis purgare quàm bonis perficere.

HISTO